

Censura SE. Hier.
Fr. Balduini r. p. in calu.
Reg. et Reg. def. con. Calu.
Synodica 2. Cr. et Hier.

Sebastiano Comero

Saba. in. de. man.

D
573

CENSURA
Catholica
de adon...
M...M...

De ●
573

CONSUEVA
Catholica
de adon...
T...
T...

Consueva se...
...
...
...
...
...

De 
573


Beibd 4

DOCTRINA
VETERIS

ET CATHOLICÆ ECCLESIAE
DE SEPTEM SACRAMENTIS,
In Oecumenico ac celeberrimo Concilio
Florentino, sub Eugenio Pontifice
Maximo, Armenijs
olim tradita.

ACCESSERVNT DE IISDEM
ac præterea alijs, quæ iam per hæreticos in
controuersiam vocatur, Axiomata trigin-
ta duo: ad extirpandas quæ hoc tēpore vbi-
uis gentium grassantur hæreses, maximè
oportuna, omniumq; Christiano-
rum lectione dignissima,
Autoritate Caroli V. Imperatoris
edita, & doceri, populoq; ex-
poni mandata.

Vtrunq; opusculū nūc primūm diligētissi-
mè castigatū, adnotatiunculis & Indice co-
piosissimo illustratum, atq; seor-
sum extusum.



LOVANIÆ

Apud Hieronymum Wellæum Bibliop.
Iurat. Anno 1564. Mense Iunio.

2 DE SEPTEM ECCLESIAE
EX DECRETO
EUGENII PAPÆ,
IN OECUMENICO ET CE-
leberrimo Concilio Florentino.

Ecclēsiasticorū sacramentorum
veritatem, pro ipsorū Arme-
niorū tam pręsentium quàm futu-
rorū faciliori doctrina, sub hac bre-
uissīma redigimus formula.

Septem esse nouę legis Sacramēta.

Nouę legis septē sunt sacramēta,
videlicet Baptismus, Confirmatio,
Eucharistia, Pœnitentia, Extrema
vnctio, Ordo, & Matrimonium.

*Discrimen Sacramentorum veteris
ac nouę legis.*

Quę multum à sacramentis dif-
ferunt antiquę legis: illa enim non
causabant gratiam, sed eā solūm per
passionem Christi dādā esse figu-
rabant. hęc verò nostra & cōtinent
gratiam, & ipsam dignè suscipien-
tibus conferunt.

*Vsus ac propriū vis cuiusque Sacra-
menti nouę legis.*

Horū quinq; prima ad spiritum
lem vniuscuiusq; hominis in seipso
perfe-

perfectionem: Duo vltima ad totius ecclesiæ regimé multiplicationemq; ordinata sunt.

Per Baptismũ enim spiritualiter renascimur, Per Confirmationé au- gemur in gratia, & roboramur in fi- de: Renati autem & roborati, nutri- mur diuina Eucharistiæ alimonias: Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiã spiritualiter sanamur: Spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per extremã vnctioné: Per Ordinem verò ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter: per Matrimoniu corporaliter augetur.

Tria ad perfectionē vniuscuiusque sacramenti necessaria.

Hæc omnia sacramēta tribus per- ficiuntur, videlicet, Rebus tanquam materia, Verbis tanquam forma, & Persona ministri conferentis sacra- mentũ, cū intentione faciendi quod facit ecclesia. Quorũ si aliquod desit, non perficitur sacramentum.

Discrimen 7. Sacramentorum.

Inter hæc sacramenta, tria sunt,

A ij Baptif-

4 DE SEPTEM ECCLESIAE
Baptismus, Confirmatio, & Ordo,
quæ characterem, id est, spirituale
quoddã signũ à ceteris distinctiuum
imprimũt in anima indelebile. Vn-
de in eadem persona non reiteran-
tur. Reliqua verò quatuor chara-
cterem non imprimunt, & reitera-
tionem admittunt.

DE BAPTISMO.

PRimum omnium sacramentorum
locum tenet sanctum Baptisma,
quod vitæ spiritualis ianua est.

Vsus & vis Baptismi.

Per ipsum enim membra Christi,
ac de corpore efficimur ecclesiæ. Et
cũ per primum hominem mors
introierit in vniuersos: nisi ex aqua
& spiritu renascimur, nõ possumus
(vt inquit veritas) in regnum celo-
rum introire.

Ioan. 3.

Baptismi materia.

Materia huius sacramenti est aqua
vera & naturalis, nec refert frigida
sit an calida.

Hac for-
ma sola
vtuntur
Latini.

Baptismi formæ aliquot.

Forma autem est, Ego te baptizo
in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti

tus sancti. Non tamē negamus, quin
 & per illa verba, Baptizetur talis
 seruus Christi in nomine Patris, &
 Filij, & Spiritus sancti: vel Baptiza-
 tur manibus meis talis in nomine
 Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ve-
 rū perficiatur baptismus: quoniā cum
 principalis causa, ex qua baptismus
 virtutē habet, sit sancta Trinitas: in-
 strumentalis autem sit minister, qui
 tradit exteriūs sacramentū, si expri-
 mitur actus, qui per ipsum exerce-
 tur ministrū, cum sanctæ Trinitatis
 inuocatione, perficitur sacramentū.

Baptismi minister.

Minister huius sacramenti est sa-
 cerdos, cui ex officio competit bap-
 tizare. In causa autem necessitatis,
 nō solū sacerdos vel diaconus, sed
 etiam laicus vel mulier, imò etiam
 paganus & hereticus baptizare po-
 test: dummodo formam seruet ec-
 clesiæ, & facere intendat quod facit
 ecclesia.

Effectus.

Huius sacramenti effectus, est re-
 missio omnis culpæ originalis &
 actualis,

6 DE SEPTEM ECCLESIAE

actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda est satisfactio: sed morientes antequàm culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum & Dei visionem perueniunt.

DE CONFIRMATIONE.

SECUNDUM SACRAMËTUM EST CONFIRMATIO.

Confirmationis materia.

Cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat cōsciētix, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per episcopum benedicto.

Forma.

Forma autem est, Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Minister.

Ordinarius minister est episcopus. Et cùm cæteras vnctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi episcopus debet conferre, quia

quia de solis Apostolis legitur (quorum vicem tenent Episcopi) quòd per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat.

Cùm enim audissent (inquit) Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Iohannem, qui cùm venissent, orauerunt pro eis, vt acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Loco autem illius manus impositionis, datur in ecclesia Confirmatio.

Act. 8.

Simplex sacerdos legitur quandoque contulisse hoc sacramentum.

Legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto

A iiij fecto

8 DE SEPTEM ECCLESIAE
fecto hoc administrasse confirmati-
onis sacramentum.

Effectus confirmationis.

Effectus autem huius sacramenti
est, quia in eo datur Spiritus sanctus
ad robur, sicut datus est Apostolis in
die Pentecostes: vt videlicet Chri-
stianus audacter Christi confiteatur
nomen.

Cur vngatur confirmandus in fronte?

Ideoque in fronte vbi verecun-
diæ sedes est, confirmandus inungi-
tur, ne Christi nomen confiteri eru-
bescat, & præcipue crucem eius qui
Iudæis est scandalum, Gentibus au-
tem stultitia, secundum Apostolum:
propter quod signo crucis signatur.

1. Cor. 1.

DE EUCHARISTIA.

Tertium est Eucharistiæ sacra-
mentum.

Materia Eucharistiæ.

Cuius materia est panis triticeus,
& vinum de vite, cui ante consecra-
tionem aqua modicissima admisce-
ri debet.

Cur miscenda aqua vino?

Aqua autem ideo admisceretur, quo-
niam

niam iuxta testimonia sanctorum patrum ac doctorum Ecclesiæ prædē in * disputatione exhibita creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. Deinde, quia hoc conuenit dominicæ passionis representationi. Inquit enim beatus Alexáder Papa quintus à beato Petro : † In sacramentorum oblationibus, quæ inter missarum solénia Domino offeruntur, panis & vinum aquæ permixtum in sacrificium offerantur: non enim debet in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri: sed vtrūq; permixtū: quia vtrunq; id est, sanguis & aqua ex latere Christi profluxisse legitur, tū etiam quòd conuenit ad significandū huius sacramēti effectum, qui est vnio populi Christiani ad Christū. Aqua enim populum significat, secūdem illud Apocalyp. Aquæ multæ, populi multi. Et Iulius Papa secundus post beatum Syluestrum ait: Calix Dominicus iuxta canonum præcepta vino & aqua permixtus debet offerri:

* Quæ, videlicet, præcelsi hoc decretū. Multa enim disputationes & collocationes cum Armenijs habitæ sunt antequam cōcilium de istis decerneret.

† De cōsec. dist. 2. In sacramentorū

Apoc. 17

De cons. dist. 2. Cū omne crimen.

offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credētium plebs ei in quem credit copulatur & iungitur. Cùm ergo, tam sancta Romana ecclesia à beatissimis Apostolis Petro & Paulo edocta, quàm reliquarum omnes Latinorū, Græcorumq; ecclesiarum, in quibus omnis sanctitatis & doctrinæ lumina claruerunt ab initio nascentis ecclesiarum, sic seruaerint & modò seruent: inconueniens admodum videtur, vt alia quæuis regio, ab hac vniuersali & rationabili discrepet obseruantia. Decernimus igitur, vt etiam ipsi Armenij se cum vniuerso orbe Christiano conforment, eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquarum (prout dictum est) admisceant vino.

Forma.

Forma huius sacramēti sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur sacramentum.

Sacer-

Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur; ita tamen quòd totus Christus còtinetur sub specie panis, et totus sub specie vini: sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini cõsecrati (separatione facta) totus est Christus.

Christus
totus est
sub vtra-
q; specie.

Effectus.

Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius vnitur, consequens est quòd per hoc sacramentum in sumentibus dignè, gratia augeatur, omnèq; effectum, quem materialis cibus & potus, quo ad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando & delectando: sacramentum hoc quò ad vitam operatur spiritualem: in quo (vt inquit Urbanus Papa) gratiam Saluatoris nostri recensemus

memo-

12 DE SEPTEM ECCLESIAE
memoriam , à malo retrahimur,
confortamur in bono , & ad virtu-
tum & gratiarum proficimus incre-
mentum.

DE SACRAMENTO POENI-
TENTIAE.

Quartum sacramentum est Pœ-
nitentia.

Materia pœnitentiæ habet tres partes.

Cuius quasi materia sunt actus
pœnitentis, qui in tres distinguun-
tur partes:

Cōtritio

Quarum prima est, cordis contri-
tio: ad quam pertinet , vt doleat de
peccato commisso cum proposito
non peccandi de cætero.

Cōfessio

Secunda est, oris cōfessio: ad quam
pertinet , vt peccator omnia pecca-
ta, quorum memoriam habet , suo
sacerdoti confiteatur integraliter.

Satisfa-
ctio.

Tertia est satisfactio pro peccatis,
secundum arbitrium sacerdotis, quæ
quidē præcipuè fit per orationem,
ieiunium, & elemosynam.

Forma.

Forma huius sacramenti sunt ver-
ba absolutionis, quæ sacerdos pro-
fert,

fert, cum dicit: Ego te absoluo etc.

Minister.

Minister huius sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris.

Effectus.

Effectus huius sacramenti, est absolutio à peccatis.

DE EXTREMA VNCTIONE.

Q Vintum sacramentum est, Extrema Unctio.

Materia.

Cuius materia est oleum oliuæ per episcopum benedictum.

Quis unguendus?

Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet, Nota.

Vbi unguendus?

Qui in his locis unguendus est: In oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.

Nunc re-
num vn-
ctio pal-
sim de-
suevit.

Forma

Forma.

Forma huius sacramenti est hæc. Per istã vnctionẽ, & suã pijsimam misericordiã indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti per visum, etc. Et similiter in alijs membris.

Minister.

Minister huius sacramenti est sacerdos.

Effectus.

Effectus verò est mentis sanatio, & in quantum expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento, inquit Iacobi 5. beatus Iacobus Apostolus: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesię, vt orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmũ, & alleuiabit eum Dominus, Et si in peccatis sit, remittentur ei.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Sextum sacramentum est Ordinis.

Materia.

Cuius materia est illud, per cuius traditionẽ cõfertur ordo, Sicut Presbyteratus traditur per calicis cũ vino, & patenę cũ pane, porrectionẽ.

Diacono

Diaconatus verò per libri Euan-
geliorum dationem.

Subdiaconat⁹ verò per calicis va-
cui, cum patena vacua superposita,
traditionem: & similiter de alijs per
rerum ad ministeria sua pertinen-
tium assignationem.

Forma.

Forma sacerdotij talis est: Accipe
potestatem offerendi sacrificium in
ecclesia pro viuis & mortuis: In no-
mine Patris & Filij & Spiritus S. Et
sic de aliorū ordinū formis, prout in
pontificali Romano latè cōtinetur.

Minister.

Ordinarius minister huius sacra-
menti est episcopus.

Effectus.

Effectus, augmentum gratiæ, vt
quis sit idoneus minister.

DE MATRIMONIO.

SEptimum est sacramentum Ma-
trimonij, quod est signū coniun-
ctionis Christi & Ecclesiæ, secūdam
Apostolum dicentem: Sacramētum Ephes. 5.
hoc magnum est, Ego autē dico, in
Christo & in Ecclesia.

Causa

Causa efficiens.

Causa efficiens matrimonij, regulariter est mutuus cōsensus, per verba de præsenti expressus.

Tria matrimonij bona.

Assignatur autē triplex bonum matrimonij, primum est, proles suscipienda & educāda ad cultum Dei. Secundum est, fides, quam vnus coniugū alteri seruare debet. Tertium, indiuisibilitas matrimonij, propter hoc quòd significat indiuisibilem coniunctionem Christi & ecclesiae.

Matrimonium est indissolubile.

Mar. 10.

Quamuis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamē aliud matrimonium contrahere fas est, cūm matrimonij vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Sequitur opusculum
alterum.

AXIO

AXIOMA

TA TRIGINTA


DVO, AB OMNIBVS

syncerè de Catholica fide sentientibus firmiter credenda.

Autoritate Caroli . V . Imperatoris anno M. D. XL III. edita: & seruari, doceri, populoque exponi mandata, ad hereseõ extirpationem.

AXIOMA PRIMVM

Septem esse Ecclesiæ Sacramenta.

 Redendum est septem esse Ecclesiæ sacramenta a Christo instituta: quæ sunt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vñctio, Ordo, & Matrimonium. Per quæ (quanuis externa & corporalia signa) Deu inuisibiliter, siue per bonos, siue per malos ministros, nostram salutem operatur.

B De

II.

De Baptismo.

Baptismus ad salutem omnibus est necessarius, etiam infantibus, per quem peccata plenè tolluntur, & fiunt filij Dei, ac hæredes vitæ æternæ nec vnquam est iterandus.

III.

De sacramento pœnitentiæ.

Pœnitentiæ sacramentum, quod post Baptismum omnibus relapsis est ad salutem necessarium, complectitur contritionem, confessionem, & satisfactionem.

III.

De contritione.

Contritio, est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi: non autè (vt quidam hoc sæculo perniciosè docent) terror conscientie, propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum. Præparat tamen hic terror
& ge

& gehennæ metus, ad veram animi contritionem.

V.

De confessione.

Confessus, diligentiam legitimam adhibere debet, quò Sacerdoti iudici suo, manifestet omnia peccata sua mortalia, etiam occulta cordis vt ab eis per illum absolua- tur: cuius absolutionis minister est solus Sacerdos, secundum Ecclesiæ ritum consecratus.

VI.

De Satisfactione.

Satisfactio, est persolutio pœnæ, plerumque adhuc debitæ, remissa iam culpa. Nam omnem pœnam peccato debitam semper condonari culpa remissa, erroneum est, & scripturis sacris aduersatur.

VII.

De libero arbitrio.

Certa fide tenendum est, hominem habere liberum arbitrium, quo potest malè, & cum grati-

a Dei bene agere, & post mortale peccatum admissum, Deo adiuuante pœnitere, & peccatorum remissionem consequi.

VIII.

De Iustificatione & solam fidem non sufficere.

Ad iustificationem ante omnia necessaria est in adultis fides, quæ certò credimus Christum Iesum dei filium, nobis propitiatorem à patre propositum esse pro peccatis nostris in sanguine ipsius sine qua nullis nostris operibus, nullaque pœnitentia iustificatio obtineri potest: sicut nec fide sola, sine pœnitentia & proposito viuendi secundum mandata Dei.

IX.

Fidem specialè aduersari literis sacris

Fides quâ quis firmiter credit, & certò statuit propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum vitam æternam, nullum habet in scripturis testimonium, imò eisdem aduersatur: etiã si firma & certa spe expectare debemus in hac quidem

dem vita, per sacramentum baptis-
mi & pœnitentiæ, peccatorum re-
missionem: in sæculo autem futuro,
vitam æternam.

X.

*Nullam in hac vita securi-
tatem esse.*

Itaque, quandiu inter hostes no-
stros & aduersarias potestates hîc
viuimus, nulla nobis est securitas:
sed cum timore & tremore iuxta
sententiam Apostoli, nostram salu-
tem operari debemus. Et secundum
varias animorum nostrorum affe-
ctiones, nunc magis sperare, nunc
magis timere, simpliciter tamé ma-
gis & frequentius de misericordia
Domini sperandum est, quàm for-
midandum de seueritate.

XI.

Bona opera sunt necessaria.

Opera bona omnibus adultis sunt
ad salutem necessaria: & quum ex
fidei & charitatis spiritu profiscû-
tur, ita grata sunt Deo, vt eis tan-
quam iustam mercedem vitam re-
tribuat æternam.

XII.

*De confirmatione & extrema
vntione.*

Confirmatio & extrema vntio, Sacramenta sunt à Christo instituta: sed non vt duo præcedentia ad salutem necessaria. Ex contemptu tamen illa omittere, mortale peccatum est.

XIII.

De Eucharistia.

In Eucharistiæ sacramento est re ipsa verum corpus Domini nostri Iesu Christi, illud ipsum, quod de Virgine natū, & in cruce passum est.

XIII.

De transsubstantiatione: et Adoratione.

In Eucharistia non manent panis & vinum, sed hæc in corpus & sanguinē Christi admirabili potentia verbi ipsius sunt conuersa: manētibus tantū panis viniq; speciebus: vnde certa fide tenendum est, sacrā Eucharistiā sanctè à nobis adorari, siue in missa siue extra missam, vbi-
cunq; reposita fuerit: aut quoties in
supplicationibus publicis à sacer-
dote

dote circumfertur.

XV.

Nō esse laicis necessariū vtramque sacramenti speciem.

Non est laicis necessaria ad salutē cōmunio sub vtraq; specie, iustisque de causis ab Ecclesia sancitum est, vt illis sub vna tātū panis specie Sacramentum communicetur: in quo carnem & sanguinē, atq; ita totum Christum sub vna specie sumunt.

XVI.

De missæ sacrificio.

Sacrificium missæ ex institutione Christi, tā viuis prodest q̄ defunctis.

XVII.

Laici non consecrant.

Solis sacerdotibus secundum Ecclesiæ ritū ordinatis, data est à Christo potestas consecrandi verum corpus Christi & sanguinem.

XVIII.

De Matrimonio.

Matrimonium contractū & cōsummatū inter christianos, est indissolubile: qualiscūq; fiat alter cōiugium siue adulter, siue sterilis, siue hereticus.

XIX.

De Diuortio.

Nunquam licet Christiano post diuortium contrahere matrimonium viuente eo cum quo prius legitime contraxerat.

XX.

De Matrimonio contra Canones.

Matrimonia contracta cōtra Canones ipsa dirimentes, simpliciter sunt irrita, & nulla.

XXI.

Ecclesiam esse visibilem & super cathedram Petri fundatam.

Firma fide tenendum est, vnam esse in terris veram atq; catholicam Ecclesiam, eamque visibilem: quæ ab Apostolis fundata, in hanc vsque ætatem perdurans, retinet & suscipit quicquid de fide & religione tradidit, tradit, & traditura est cathedra Petri: super quam ita à Christo suo spōso est ædificata, vt in his quæ fidei sunt & religionis, errare non possit.

XXII.

De excommunicatione.

Extra

Extra hanc nulli speranda est salus: suntque extra eam hæretici, schismatici, & excommunicati: vnde vehementer formidanda est excommunicatio: nec humana, sed diuina est excommunicandi potestas.

XXIII.

Ad summum pastorem controuersias fidei referendas esse.

Vnus est Ecclesiæ summus pastor cui omnes obedire tenentur: ad cuius iudicium controuersiæ, que super fide & religione existunt, sunt referendæ.

XXIII.

Quis summus Ecclesiæ Pastor?

Summam hanc præposituram primus omnium gessit sanctus Petrus, verus Christi in terris vicarius, & totius familiæ eius pastor. Post Petrum verò ex Christi institutione omnes deinceps Pontifices, Petri in cathedra successores.

XXV.

De sacrarum literarum & cathedræ Petri ac traditionum œcumenicorumque conciliorum authoritate.

Certa

Certa fide tenenda sunt, non solum quæ scripturis expressè sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita sunt super fidei & morum negotijs per cathedrâ Petri, vel per concilia generalia legitime congregata.

XXVI.

Ecclesiæ constitutiones obligare conscientias.

Constitutiones Ecclesiasticæ de ieiunijs, festis, & abstinentia ciborum alijsq; multis obligant in cōscientia, etiam extra casum scandali.

XXVII.

Sanctos esse venerandos & inuocandos.

Rectè fit in ecclesia, quod sanctos in cœlis cū Christo agentes veneramur et inuocam⁹, vt pro nobis orēt, quorum etiā meritis & intercessione Christus nobis hîc multa largitur, aliâs non largiturus: per quos etiam miracula in terris operatur.

XXVIII.

De Peregrinationibus.

Quapropter sanctè & religiosè faciunt

ciūt, quī loca eis dicata, vnā cū ipso-
rū reliquijs religiosa pietate visitāt,
& hoc modo ab ipsis opitulationem
querunt. **XXIX.**

De Imaginibus.

Gratus est etiam Deo imaginum
vsus: recte q̄; coram eis procūbimus,
inuocaturi sanctos quos reſentāt.

XXX.

Esse purgatorium, post hanc vitam.

Firmiter credēdū est, post hāc vitā
purgatoriū esse animarū: in quo sol-
uitur pœna peccatis adhuc debita.

Eisdē tñ subuenitur, sacrificio altaris
oratione, ieiunio, eleēmosyna, alijsq̄;
bonis operibus viuorū, sicut & in-
dulgētijs, quò citiùs ab ea liberētur.

XXXI.

*Animas purgatas statim esse in cœlo,
impiorū verò statim in inferno*

Animæ defunctorum purgatæ, mox
regnant cum Christo in cœlis. Et
animæ impiorū hinc migrātes sem-
piternis inferni tradūtur supplicijs.

XXXII.

De libertate Christiana, & votis.

Rectè vota Deo facimus, tā mo-
nastica

nastica quàm alia: & facta obligant apud Deum: nec aduersantur liberati Euangelicæ: quæ à peccatis libertas est, & ijs quæ spiritum nostrum quoquomodo impediunt, quominus totus Deo seruiat: non autem à voti vel iuramenti obligatione, nec ab obediētia magistratus ecclesiastici vel secularis.

INDEX LOCUPLETIS-
SIMVS IN VTRVMQVE
libellum præcedentem.

A.

- A** Dorandã esse sacrã eucharistiã. pa. 22
Adulterium non soluit matrimonium. pa. 23.
Animabus in purgatorio subuenitur sacrificio altaris, item viuorũ oratione, ieiunio & elemosynis etc. pag. 27
Animas purgatas statim esse in cœlo: impiorum verò statim in inferno. Ibid.

B.

- Baptismus, vitę spiritualis est ianua pag. 4:
plenè tollit peccata, pa. 18. necessari⁹ etiã
infantibus Ibid. non est iterãdus. pag. 4.
Baptismi Vsus & vis. Materia pa. 4. Formæ
aliquot, minister, effectus. pag. 5.
Bona opera sunt ad salutē necessaria adultis.

C.

- Confirmatio est nouæ legis sacramentum. pa. 22
pag. 17.

pag. 17. & 22.

Confirmationem ex contemptu omittere
crimen est. pa. 22.

Confirmationis. Materia, Forma, Minister
pa. 6. Effectus. pag. 8.

Confirmationem simplex sacerdos legitur
quandoque contulisse. pag. 7.

Constitutiones Ecclesiasticæ obligant in
conscientia. pag. 26.

Contritio nõ est terror cõscientiæ. pa. 18.

Credendum est esse septem Ecclesiæ sacra-
menta à Christo instituta. pa. 2. & 17.

Cur cõfirmãdus vngatur in fronte. pa. 8.

D.

Decisiones cathedræ Petri & œcumenico-
rum conciliorum sunt fide tenedę. pa. 25.

Discrimen sacramentorũ veteris ac nouæ
legis pag. 2.

Discrimẽ 7. sacramentorum inter se. pa. 3.

E.

Ecclesia Christi est Vnica, Catholica, Visi-
bilis, Fundata super cathedrã Petri. pa. 24

Eucharistiæ Materia, Forma, effectus pa. 11.

In Eucharistia est reipsa verum corpus
Christi & totus Christus sub vtraq; spe-
cie pa. 22. fit transubstantiatio panis & vi-
ni. Ibid.

Eucharistia est adoranda Ibid.. eam laici
non consecrant. pag. 23.

Extra ecclesiam nulli salus & extra ea sunt
heretici schismatici excõmunicati pa. 24

Excommunicatio est formidanda Ibid.

Excommunicãdi. potestas est diuina. Ibid.

Fidem

F.

Fidē specialē literis sacris aduerfari. pa. 20.

H.

Hērefis non foluit matrimonium. pa. 21.

I.

Imaginū vſus eſt bonus. pa. 27.

Iuramenta non obſunt libertati euangeli-
ca. pa. 28.

Iuſtificatione requirit fidem pa. 20.

Ad iuſtificationē ſola fides nō ſufficit. ibid.

L.

Laici non conſecrant. pa. 31.

Laicis non eſſe vtrāque ſpeciem neceſſa-
riam. Ibid.

Libertas euangelica eſt libertas à peccatis
& impedimentis ſpiritus. pag. 28.

Libertas euangelica non abſoluit ab obli-
gatione magiſtratus ſicut nec à voto aut
iuramento Ibid.

Liberum arbitrium homo habet. pa. 19.

M.

Matrimonium eſt nouę legis ſacramentū
pag. 2. 15 & 17.

Inter Chriſtianos conſummatum eſt & in-
diſſolubile. pag. 16. 23. & 24.

Matrimonij Cauſa efficiēs Tria bona pa. 16

Matrimonia contra canones contracta ir-
rita ſunt. pag. 24.

Minifter abſolutionis eſt ſolus ſacerdos
pa. 19.

Per malos etiā miniſtros Deus ſalutē no-
ſtram operatur. pa. 17.

Miſſæ ſacrificium etiam defunctis prodeſt.
ſc. pag. 23.

Non

N.

Non omnis pœna condonata est, culpa remissa. pa. 19.

O.

Occulta cordis confitenda Ibid.

Ordo est nouæ legis sacramentum pa. 14.

Ordinis, Materia, Forma, Minister, Effectus

Ibid.

P

Pastor summus vnicus est. pa. 25.

Pastoris summi est controuersias de fide

determinare Ibid.

Petrus fuit primus pastor summus post

Christum. Deinde Petri successores Ibid.

Pœnitentia est nouæ legis sacramentū pag. 2.

& 17. Relapsis necessarium. pag. 18.

Pœnitentiæ Materia pa. 12. Forma, Mini-

ster, Effectus 13. Neccsitas pa. 13.

Post hanc vitã est purgatoriū animarū pa. 27

In purgatorio soluitur pœna adhuc debi-

tata in hac vita Ibid.

In purgatorio degentibus subuenitur sa-

crificio altaris. Item oratione, ieiunijs &

elemosynis viuorum ac deniq; indul-

gentijs. Ibid.

R.

Reliquiæ sanctorum rectè visitatur. Ibid.

S.

Sacrament. no. & vet. legis discrimẽ pa. 2.

Sacramẽta no legis sunt septẽ pag. 2. & 17.

eorum discrimen 3. vis. pag. 2.

Ad sacramentorum perfectionem tria re-

quiruntur. pag. 3.

Sacrificium missæ etiam defunctis pro-

dest. pa. 23.

Sancti

Sancti sunt venerandi & inuocandi. pa. 16.
Satisfactio est necessaria. pag. 12. & 18.
Soli sacerdotes consecrant. pa. 17.
Sperandum magis quàm timèdum. pa. 21.
Sterilitas non soluit Matrimonium pa. 23.

T.

Traditiones sunt tenendæ pa. 25.

V.

Vnctio extrema, est sacramentum noue legis. pa. 2. 17. & 22.

Eiusdem materia, Forma pag. 13. minister, effectus. pag. 14.

Vnctionem extremam ex contèptu omittente mortale peccatum est. pa. 21.

Vota non aduersantur christianæ libertati sicut nec iuramenta pa. 28.

F I N I S.